

# ORATIO FVNE-

BRIS HABITA A MAGISTRO DAMIANO GONÇALEZ DE CVETO, EORVM,

qui ad Philosophiæ lauream ascendunt exami-

natore & in Apollinea scientia denuoli-

centiando, in exequijs Religiosissimi

Patris Antonij Arias è Socie-

tate I E S V —

(.\*)


☞ SACRÆ THEOLOGIÆ INTERPRE-

tis, & Congregationis Annuntiatæ primarij, ac vigilantissimi Du-

cis, quas eadem congregatio cobonestavit, in Collegio Mexi-

cano eiusdem Societatis, decimo Kalendas Iulij.

Anni 1603 —



☞ (\*) ☞

☞ MEXICI; SVPERIORVM PEMRISSV,

Apud Henricum Martinez —

(.\*)

191.

# STATE OF NEW YORK

IN SENATE,  
January 10, 1911.

REPORT  
OF THE  
COMMISSIONERS OF THE LAND OFFICE

IN RESPONSE TO A RESOLUTION  
PASSED BY THE SENATE  
MAY 15, 1908.

ALBANY:  
J. B. LIPPINCOTT COMPANY,  
PRINTERS,  
1911.

# Grauisimo D. Doctori D.

Ioanni de Ceruantes, Mexicanae Ecclesiae Archidiacono meritisimo, dignissimo scriptura sacrae in regali, & inelyta Academia interpreti, integerrimi Sanctae Inquisitionis Senatus à consilijs, & vigilantissimo congregationis annunciatae protectori Magister Damianus González de Cueto perpetuam, ac florentissimam felicitatem deprecatur —

~ (\* ~) ~

**F**Eci GRAVISSIME DOMINE, in funeralibus exequijs religiosissimi viri, Patris Antonij Arias è Societate Iesu. Funebrem banc orationem, vt à te mihi imperatum fuit, eam tamen non feci, vt existimarem, typis esse condignam; Contigit autem, vt tanti, ac tam grauisimi viri eam à me exposuissent, vt si manu singulis foret scribenda, immensi fuisset laboris, & fastidij non mediocris, ideo parte mihi secundum in iunctum fuit, vt illam imperpetuam tanti Parentis memoriam, quam sedulo, & accuratè possem, praelo mandarem; sed timeo futuros esse complures, qui dictis illam acriter mordere, & morsu deformare contendant; quam obrem, grauisime Domine, eandem tuae amplitudinis patrocinio, tanquam congregationis, & meae auctoritatis protectori (tantorum vt morsus euadat illesa,) offerendam decreui; tua igitur illam auctoritatis, & Imperij umbra benigne faueat, tucatur, approbet, quo tam felici cincta patrono inter calumniantorum dentes, & ora triumphabit alacris, & letabunda. Vale —

(\* ~ \*)

M. Damianus González,  
de Cueto —

A

q PA.



¶ PATRI ANTONIO ARIAS, IAM  
VT SPERAT CÆLI INCOLÆ MAGIS-  
TER CVETO SODALITII ALVM.

*nus Panegyricam hanc, funebremq; orationem*

*supplex vouet, dicatq; —*



O Pater, o Arias, Arias qui vellere fudges  
aureo, quod virtus aurea culta dedit.

Macte parens, votis iam nunc affuesce vocari :  
sc̄a mea te primum, te mea vota vocent.

Vota, meę voces, calamus, pergrata voluntas,  
materies, felix mors tua, vita tua.

Materia vincor: lignum seu vincitur auro :  
ligna lingua mihi est, aurea vita tibi.

At præstat ligno fingi, quam ligneus esse :  
aureus, & ligno fingitur ipse Deus.



# Mortem parentis optimi,

& ad modum religiosi, ac sapientissimi viri, letitia  
potius, quam luctu, commemorandam,

(\*) probat Oratio. (\*)



**N**VNQVID, clarissimum Congregationis nos-  
tra lumen extinctum hodie, & obscuratum in-  
tuemur? Nunquid, scientiarum omnium Apol-  
linem ignotum iam, & in cineres redactum cō-  
templamur? Nunquid, Mexicani orbis decus,  
& ornamentum, acerbissime mortis iniuria ablatum conspici-  
mus? O fragilem humanæ vitæ conditionem, o vota lubrica,  
& ancipitia heminum curricula, o fallaces, & inanes spes qui-  
bus vita brevis in errorem homines impulit, & eos, quibus  
erat ignota decepit, sefellit, in fraudemq; inopinatè dedu-  
xit, o grauis, & obscura noctis imago, quæ splendidam diem  
nostrilucem substituit? Quis Orpheus? Quis Tamyris? aut  
qualis Eleusinius incolæ musæus tanti dolori sufficiet? quibus  
cytharis, quibus lyris communis hic tristis, & acerbis totius  
orbis casus descebitur? merito (viri grauisissimi.) Merito lachry-  
mis madent oculi vestri, merito omnium ora pallor infecit, me-  
rito suspiria pectus, dolor præcordia, & cuiusq; animum dolor  
ingens occupauit. At vnde merito? quid ne dolendum? quid  
deplorandum? quid miserè, & lachrymabundè dolendum?  
forsan ne illi, qui vi mortis abrepti sunt, & consumpti? hi  
sanè deplorandi, quos inopina mors ab reptos in profundam  
obliuionis foueam morientes intrusit. At sodalitiij nostri Prin-  
ceps optimus viuuit adhuc, nondum vitam effudit, viuuit enim  
cum mors illi felicitatis aditum patefecerit, iterq; munerit, ad  
beatam illam, & æternam Hierosolymam; viuuit profecto in  
nostro

nostro cœtu dignissimo, in quo splendor ipse extitit, & ornamentum: viuit in discipulorum, ac magistrorum Laureis virtutibus, quibus ipse decorauit complures, dum tredecim annorum spatium, in liberalium artium disciplina, sacrarum Scripturarum, ac Patrum serie, nec non in morali, & scholastica, ac diuina exponenda Theologia non inglorius attereret: viuit inter religiosorum, sacrarumq; virginum ordines, qui sanctissime eius doctrina fructus degustarunt: Viuit, sed quid viuit? & viuit, & viuet semper, in hac dulcissima Iesu Societate, quam ipse à primo iuuenilis ætatis flore doctrina coluit, exemplo auxit, virtutibus coonestauit, in qua grata, & iucunda illius memoria non delebitur, non refrigescet amor, voluntas non extinguetur, vt affirmare videbatur, vt dixit alter, *funeribus lacrymis, & veris, & intus obortis*. Quibus illum lacrymabunda sepultura mandauit: viuit in florentissimo illo Salmanticensi Collegio, in quo ita vixit, vt iuuenis senibus, tyro veteranis, nouitius exercitatis, tanquã exemplū deuotionis, tolerantia, frugalitatis, obedientia, omnis deniq; virtutis, esset ad imitandum propositum, vnde cum ab huius Mexicana Prouincie Procuratore, felicissima sorte esset electus, vt ad hæc noua regna perueniret, tam singulari hoc fecit animi alacritate, vt nec parentes ipsos inuisere, nec vltima eorum colloquia, & si rogatus, excipere vnquam veller, ne forte tam faustum, ac fortunatum iter impedire forte conarentur: Viuit deniq; inter felicissimos beatarum mentium cætus amantissimis, ac benorum omnium afiluentia refertis in locis. —

Hunc ergo tristes hodie dellebimus? Hunc colachrymabimur? tristem ne huius absentiam, lacrymis coonestabimus? O Iupiter (clamauit Alter Smyrnæ terræ motu obrutam ploraturus.) O Iupiter quid agam? vtrū ne tacebo collapsa Smyrna, an lugebo? O Deus immortalis, ò rerum omnium & votuū dominator supreme possum, & ego non immerito conclamare, quid agam totius nostre, & congregationis, & reipublicæ Mc-

~~hic~~ ~~dicenda~~ gloria sublata iugebo te cum quem tam im-  
mature (vt hominum more loquar) & inopinato certe funere  
subtulisti: Cuius vita plurimis exornata virtutibus, sodalium  
certi, nouoq; Hispaniarum orbi decus, subsidium christiana  
disciplina firmissimum, scientibus ac litterarum amatoribus  
propositum ad imitandum exemplar. Religiosorum colu-  
men, rebus multorum priuatis perutilis, publicis pernecessa-  
ria videbatur: Luge bone, an tacebo: Cum miram quandam  
hodierna dies latitiam, & alicritatem atq; hic doctissimorum  
hominum commentus factus, nō ad tristem eivra discesum tam  
religiosi viri deplorandum, sed ad diem natalem, ac salicem  
eius ad beatam illam, ac nunquam inter morituram vitam lau-  
dibus afficiendum introitum, illa ipsa satis ostendunt, quae  
gessit in vita, qua veluti custodia dolens detinebatur inclu-  
sus: vnde merito vitam despiciendam, non moribundus solū,  
sed & viuens dixit multoties, optandam vero mortem. Quod  
dum breuiter percarro, statuis prius rationibus, quae lachry-  
mae mouent, excitant tristitiam, merorem ingerunt, vos oro,  
atq; obtestor, viri grauisimi, vt dolore meum attritione ves-  
tra subleuetis, nec tam ex his, quae a me dicuntur, quam, quae  
dici à multis possent, talis, tantiq; viri laudes ponderetis.

Vetus igitur opinio fuit, viri grauisimi, & inde ab huius  
tornatilis nostri orbis conditi deducta primordijs, omniumq;  
hominum firmata consensu, vt eos, qui statutum a natura tem-  
pus morte transfunderent, profusis deplorarent lachrymis  
propinqui, vnde ab Aegyptijs olim, septuaginta dierum spatio  
mortuos singultibus coli legimus, quo tempore, vultus sordes  
haud quaquam abstergendae, clausis templorum ianuis, nemi-  
nem per vicos, aut plateas offenderes, illis pretermisissis, qui ab-  
scissis pro dolore vestibus, oculis ad terram demissis, rugata  
frōre, solutis crinibus, vultu dilacerato, ac premerore concilio  
lachrymis ad solum vsq; fluentibus, intrinsecum dolorem qua  
si intento digito, commostrabant, clamantes, ò nebula, & nox

illunis, quæ corda nostra nunc occupas? ò dierū sacrarum numerus in quales noctes nobis succedentes abiistis, ò tristis casus, quæ auguraris angustias? quare ò Iupiter hoc nobis argumentum præbuit? Hæc per vicos audiebantur lamenta, is erat eorum modus loquendi, hæc communis hospitem salutatio, hic tristissimus omnium discessus, sed ne hic memorem lachrymabiles illas mulieres, quæ funesta mortuorum sepulchra, capitibus cinere coopertis, inuisentes, sibi verbera acriter infligebāt, prætereo Hebræos, & Græcos illos, qui proprijs manibus vultus dilaniantes, pectora pugnis percutiētes, capitibus capillos ingenti, crudelitate sparfos, non modo ferociter auellere, sed omnino præcindere consuecentes, latentes intus doloris morbos, ipsis etiam non cernentibus ostendebāt, his enim amicorum cadauera humo mandāda contegere consueuerant vnde alter, vt ingentem multorum tristitiam, quam inopinata Patrocli mors attulerat, memoriæ nostræ clarā relinqueret, *amicorum, dixit, capillis totus Patroclus coopertus ibat.* Versas omitto, qui non solum nouaculis capita abradere, equorum caudas præcindere, verum altissima vrbium mœnia euertere, euerſa diruere, diruta solo equare solebant, ne solum homines rationis compotes, ac doloris capaces verum animalia bruta, ac insensibiles lapides, vallata vrbium mœnia, dolorem prædicarent, lachrymas ostenderent, tristitiam declararent.

Si tantam ergo tristitiam mors semper à primis seculi temporibus attulit, cui rogo, tam indomiti adamantis nunc pectus inest, qui retentis lachrymis, plorantes alios irrideat? quæ tam patiens patientia, quæ tantum dolorē retinere queat aut frænare, quis tam hospes, aut à scientiarum scholis peregrinus reperiri potest, quem uentus iste non commouerit? amissimus enim, viri grauisissimi, amissimus, præclarum sodalitiij patronum, amissit pauper refugium, amissit infirmus salutem, virtutis studiosus protectorem amissit, sacra Theologia-

ornamen-



ornamentum, praclara hac religiosorum familia sua Academia lumen amisit, eum scilicet, sed quem eum? eum a quo nullus vnquam (attēdite auditores vera enim loquor, & quae multoties vos ipsi mecum vera rationis trutina ponderastis) eum scilicet, a quo, neq; verbum vnquam ociofum, aut minus graue, aut non compositum, & religiosissimum audiuit, sed quid non compositum? Erant enim verba illius adeo sanctitatis sale resperfa, vt ad secretam cuiusq; necessitatem, & latentis cordis arcana loqueretur, vnde in frequentibus, ac familiaribus congregationis concionibus nouus sane videbatur exortus Demosthenes, in quibus tanto ab omnibus audiebatur studio, ac silentio, vt nihil magis timerent, quam recitō concionis vella comprimeret quae vbi tandem comprēsserat, singulari omnium acclamatione, & plausu excipiebatur, tunc praecipue cum finita cōcione, ac nullo sibi quietis aut refrigerij spatio concesso, carceres, & valetudinaria tanta humilitate, & sanctitate concursabat, vt Equites Plebei, Doctores, Bachalauri, Sacerdotes, Seculares eius humilitatem inoribus exprimere conarētur, & vita infirmorum valetudo caput atteri, & admodū extenuari, cum ipse eos tanta suauitate pertractaret, vt relicto palio, quo tegebatur, humilioribus Indis, & Aethyopibus, proprijs ipse manib<sup>9</sup>, cibos, potusq; officiosissime porrigeret: ad abluendas animi maculas confessionem expostulantibus aures, humi sedens, praebere alacer, operamq; nauaret; lectos quam posset mollissime substerneret, vlcera lētabūdō abstergeret, moribundos roboraret, ad vltimum illud certamen discrimenq; Amisit ciuitas hac Mexicana eum, qui cōiūtum similitates dimireret, principum discordiarum femina tolleret, pacemq; conciliaret: amisit sanctissimum Inquisitionis tribunal, qui virulentum Haereticorum impetum intrepide frangeret, ac debilitaret: amisit illustrissimus pariter, ac reuerendissimus Archiepiscopus noster, vt palam ipse testatus est, eum, cui grauiora sui Archiepiscopatus negotia demā-  
dare re-

clare recogitabat, ex integrisq; permittere: amisit deniq; cæ-  
tus hic noster, & inelytum Deipara sodalitiū eum, quo quasi  
decore, & ornamento triumphabat, quasi protectore exulta-  
bat, quasi firmissima columna nitebatur, & non illachryma-  
bitur ornamentum? non lugebit protectorem? non lamenta-  
bitur columnam? non ingentem animi dolorem vultu, & ocu-  
lis indicabit —

¶ Nequaquam, viri grauisissimi, nequaquā, non est cur lugeat,  
non est cur lamentetur, qui mentē namq; bene à natura infor-  
matam paulo altius, vt ipse frequentissime excitauerit, secū q;  
prudenter expenderit, humana vitæ fragilitatem, mortisque  
præstantiam, & quid fuerit ille hodierna sibi, nobisq; morte  
consequutus tēperabit à lachrymis, lenietq; dolorē, & in gau-  
dium fortasse non mediocre cōmutabit, & cum Sapiaentia con-  
clamabit alacer, *melior est dies mortis die natiuitatis*: & ideo Græ-  
corū princeps Homerus homini fortunato vitam breuē,  
infortunato vero longam esse existimabat, quo forte ductus  
Anaxagoras tadio vitæ sibi mortem concisceret nisi fuisset à  
Pericle prohibitus, qui supplex, & in genua prouolutus illum  
lachrymans orauit, vt si non sibi, saltem Pericli viuere vellet.

Sed quid aliena conquirimus testimonia, vbi propria Pa-  
rentis nostri, ac recentiora id ipsum comprobare sufficiunt?  
nam cum in morbum incidisset, exemplum futurus, quib' an-  
tea fuerat solatium, ac vicinæ mortis desiderio flagraret, roga-  
tus, vt si non sibi, saltem nobis viuere vellet. O vitam proclama-  
uit, *miseriarum omnium fontem, calamitatum, & aceruitatum immē-  
sum pelagus, profundumq; inexhaustum: à vitam dolorum, & infir-  
mitatum asperitate terribilem. Ecquis tam barbarus, & inhumanus  
erit, qui non existimet vitam illam felicissimam, cuius summa digni-  
tas, immensa lux est, splendor inaccessus, inexhaustum lumen, tibi  
esse preferendam, in qua horam nullam videbimus, vel dolore va-  
cuam, vel labore solutam, aut metu liberam, sed infinitis potius  
difficultatibus affectam, nec non summis curis, & angoribus impli-  
catam,*

*...funde melior sane est misericordia Domini super vitam quam ipse despiciens, in lectulo cum decumberet, nulla de re aut libentius, aut frequentius, quam de morte, & sermonem inferere; & in sermone audire letabatur; dicens de quam velox depositio tabernaculi vestri, rogatus tamen ne mortem tam enixe facerem animum exoptularet, dictum illud cuiusdam Ecclesie presulis, Aurelio Augustino, mirantulit alacritate, si aliquando cur non modo? & illam exoptans ut cum, nescio quis, morbi vim aliquantulum remitti illi nuntiasset, tristis dolebat, ac dolens vehementer angebatur, ut plane ostendit, cum a religionis quidam ibi astantibus, ab eo deprecaretur, ut vna cum Dno Martino has funderet preces. Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; ijs sibi minime opus esse seuerè repondit, & cum Apostolo proclamauit cupio dissolui esse cum Christo*

Sed quid mirum, auditores ornatissimi? Adeo mortem in votis semper habuerat, ut eam frequenter precationibus à Deo peteret. Audite mirabile; Omnes Hebdomada dies ad meditationem; ac precè sibi distribuerat, assignaueratq; feriam vero tertiam, ad id potissimum letabundus elegerat, ut ab integerrima Deipara mortè sibi flagitaret impense, quam ut facilius allequeretur, sanctissimam Dei genitricis imaginè, quam nos Nra Señora delos Remedios vocam?. Cuius in vita studiosissimus semper extitit, deuotissime inuisit, in cuius sacello per noctè integram, suspirijs, gemitibus, ac lachrymis ad solum vsq; fluentibus, quem optabat exitum sollicita prece contèdit, & efflagitauit, à qua (ut arbitror) responsum sui desiderij ac mortis accepit. Credo enim hoc, viri grauissimi, nec multa mihi persuadeo, quod si vellem hodie testimonijs cõprobare non pauca ad comprobandum suppeterent, probat tamen hoc schedula illa propria sua manu scripta, & suo nomine consignata, quam vos ipsi, & vidistis & perlegistis multoties, in qua de propinquitate sue mortis virginem quandam certiorum fecit. Pro-

fecit. Probat hoc confidentia illa, qua cum religiosum alium in extremo iam spiritu constitutum, ad supremam luctam oleo vngerent, ipse moribundo, se prius quam illum, evitā discesurum alacer dixit; ac letabundus, nec eū fefellit spes, vt postea rei euentus comprobavit, & hodie manifeste conspiciamus, letari ergo, & gratulari dulcissimo nostro patrono debemus potius quam lugere, cum aternus ille bonorum remunerator fidelis, evitā hac misera ad illam felicissimā, ē tenebris ad lucem, ē mundo calamitatibus pleno ad aternas illas beatorum civium sedestraderit. Quis obsecro, quis iam eius mortem complorabit? Quis suspiria emittet? Quis fundet querellas? Quid enim perditum, hominūq; fidem lachrymis, aut lamentationibus dignum in eius morte reperias? Nihil prorsus dulcissime patens, ac magister, nihil. Quocirca te nunc felicem vereq; beatum appello tibi protanto bono per omnem eternitatem duraturo, non minus gratulor, quam multilibentissime gaudeo, cum iam ipse superbientis egritudinis tempestate peracta, intumescens infirmitatū procellas depresso, turgentes dolorum vndas sedaueris, acervos insidiantis morbi scopulos euiceris, ingruentium ventorum vim depresso, sugaueris, abegeris, ac tandem tandem felicissimum navigationis portum appellens, complicatis, sacrae fidei velis, demissis christianae spei anchoris firmis, verus, sempiternusq; celestis gloriae aditus ardentem quidem desiderans tibi, vt speramus, felicissime patefactus est —

Quod si longius vellem comprobare, insurgunt passim huiusce veritatis clarissima testimonia, sed quorum hęc? nonne multiplicitate dignissimorum testium, eorumq; adstantium auctoritate, quae multis possem verbis exponere comprobatur? Vos, vos inquam auditores, vos ipsi id creditis, vos ipsi id verū, & vultu, & oculis indicatis, plura multo, & longe insigniora quā nra hęc oratio declarat, vester cōcipit animus, vestra probat auctoritas, vestri omnia sermones ipsi nolentibus patefaciunt.

Verum

omnino sine omni fictio præceteri te videat, nonnulla è tantum numero deligam, quæ id manifestè declarèt, ad quod, singularis illi mihi prius accorrit animi pietas, & mansuetudo, quæ cæcos semper adamauit, mira comitate tractabat, humaniter loquebatur, comiter, & amicè ad virtutis studium inuiritabat, sese omnibus mitem, affabilem, iucundumq; præbere conabatur; hanc subsequitur nota illa illius animi prudentia, qua omnium ad se animos bonos, iuxta ac malos, summos, equè, & infimos allicere & excitare consuecebat, vt intento quasi digito commouerat, Oppidanorum, Equitum, Archiepiscopi, Proregis, sanctæ Inquisitionis Tribunalis, religiosorum, mulierum equè ac virorum sollicita illa de illius salute semper interrogatio: nouerat hanc prudentiam sapientissimus equè, ac religiosissimus Societatis I E S V Præpositus generalis, qui illi ex sibi commissa Societatis Romana curia magistrerij titulum tanto litterarum incremento iure debitum, dari mandauerat; ipse nouerat; sed illum feliciter nouisse fatemur, contemnendum honorem, lauream contemnendam, insignis magistrerij insignia, & ornamenta despicienda, dum accuratius id sibi iniunctum effugit, repudiauit, abiicit, nouerat hanc prudentiam, idem Societatis optimus Parens, cum inter dignissimos huius Prouintia Rectores illum etiam Rectorem dignissimum creauerat, nouerat hanc prudentiam florentissima hæc Societatis I E S V Familia, dum nostram hæc, & virginis congregationem, sua cura, ac diligentissima prudentia comisit. En summa viri prudentia, en singularis animi pietas, & mansuetudo, & in negotijs benegerendis, en nunquam satis laudata sapientia.

Verum vt in his, quæ ad religionem eius, ac pietatem in Deum, aliquantulum nostra hæc oratio conquiescat, & aliqua è tanto numero summam attingam, taceo assiduas eius commutationes, ac meditationes, quibus se se ad Christi Domini virtutes contemplandas, ad mortis æternæq; felicitatis memoriam excitandam

citandam comparabat, taceo innatam illam cum caelesti numi-  
ne consuetudinem, quæ ex veneratione, ac reuerentia, qua-  
positis genibus, manibusque dum posset sublatis, diuinum  
semper recitauit officium, colligi facile potest. Taceo singu-  
lare illud studium quo ipse se ad calculos frequentissime vo-  
cabat, vt si quas contraxerat animi fordes, solerti ablucet  
confessione, prætereo eam quam præferebat animi demis-  
sionem, quem timorem, & reuerentiam, & licet, nunquam  
imparatus accederet, mirum est, quam tremebundus accede-  
bat cum primum sacro præsens erat futurus, ac diuino pabulo  
alendus, quo factum est, non casu certe (viri grauisimi,) non  
casu, sed diuina prouidentia decretum, vt qua hora sacrum  
Missæ sacrificium frequenter ipse perageret, eadem pror-  
sus hora, ad superos exiliret, omitto communem illam  
dediuisis rebus consuetudinem loquendi, quam cum ad  
vitæ exitum appropinquare videretur filio, ac fratres eius  
adnotarunt, dum intermortuas, & informatas iam voces,  
nilil equè clarè ac Dauidis carmina repetebat, quæ ani-  
mi candorem, pietatem, caelestium honorum desiderium di-  
uini Iudicis amorem, patientiam, & sanctitatem redolebat,  
Prætereo huius nostræ vrbs de illustribus virginum Ceno-  
bijs curam, & industriam, earundemq; virginum in omni  
virtutum genere, eo duce, & admirando magistro, admi-  
randum pietatis amorem. Non commemorem eximiam eius  
ingenij claritatem, egregium virtutis, ac religionis studium,  
zelum diuini cultus, & honoris admirabilem, singularem pau-  
pertatis amorem, ambuonis, adulationisq; contemptum, mi-  
ram insusceptis inq; suscipiendis rebus constantiam, & quod  
plus, subsequenter effugeret honorem, quàm alij persequuntur  
fugientem, ac sui contemptor vnicus non minus laude, & au-  
ram popularè, inuitamèta arrogantur, quàm ceteri vituperatio-  
nem ex horreïceret, vnde cum talis tantusq; esset, & tantam  
vniuersi virtutem mirati certatim illum laudibus afficerent  
quo su-

quo sublimius ab alijs ferebatur; eo humilior de se ipse sentie-  
bat, & loquebatur abiectius, propria tegens, aliena et si minu-  
tissima propalam efficiens, adeo vt nemo vnquam de alienis  
rebus illum detrahentem audiret.

Hæc omnia (viri grauisissimi) libentissime percurro, arden-  
tissimum tamen amorem, quo sanctissimam Dei genitricem,  
mundi dominam cæliq; reginam a tenera semper adolescen-  
tia prosequutus est, non prætereâ, cuius testis pro mille sit pul-  
cherrima illa eiusdē virginis effigies, quam in sacello congrega-  
tionis locauit, testis arcus ille triumphalis, tot pietatis, ac de-  
uotionis notis ornatus; testis hæc eadem congregatio, eidem  
Dei paræ dedita, quam eius pietas erexit, instituit, ornauit, au-  
xit, testis iuuenilis illa adolescentia, in qua integerrima vir-  
gini, sese virginittatis voto deuinxit, cuius pulcherrimum flo-  
rem ad extremum vsq; spiritum intactum illibatumq; serua-  
uit, vt publice affirmavit is, cui conscientiam suam, & inter-  
nos per totam vitam animi motus detexit ipse, & aperuit vi-  
uens; testis votum aliud valde laudabile, quo nihil se aliquan-  
do negaturum expressit, eis, qui aliquid in obsequio ac nomi-  
ne Virginis exposcullissent; testis aureus ille libellus quem de  
vita Virginis, accurate conquisitis (ex patrum testimonijs)  
laudibus elaborauit; testis cura illa, qua inter mortuis iã voci-  
bus manibus in crucis figurâ cõpositis, Mariam matrē gratia,  
misericordiæ matrem moribundus, & balbutiens proclamabat.

Probat ne hoc eius animi pietatem? probet etiam diligen-  
tia illa, qua cum vltimū suæ vitæ diem appropinquare cogno-  
uisset, non semel, sed sæpius animum confessione lachrymabū-  
dus absterfit, ac magna sanctitatis humilitatisq; significatione  
sanctissimo Christi corpore animum paut, refecit, confirma-  
uit, & sacro ad vltimam luctam oleo inunctus, & sacramentis,  
omnibus, quibus ad iuandos, tutandos, & conseruandos mo-  
rientium filiorum animos, eos contra insurgentes aduertan-  
tium hostium pugnas, sacro sancta mater Ecclesia parat, ritè  
perceptis,

perceptis, *lego orationis decursu* supplex veniam à familiari-  
bus petijt, atq; vt sibi ignoscerent demisse postulauit quib'  
factis, cum iam iam lethali morbo esset implicitus, & egrum  
corpus per multas curationes in dies aliquot extraxisset, tan-  
dem superante medicamenta interfluorum manus, suspiria, ac  
lachrymas, iuxta illud Prophetæ *in pace in id ipsum dormiam, &  
requiescam*, placide obdormiuit in Domino. —

O beata vita quæ tali morte conclusa est, o beata mors quæ  
tali vitæ principium dedit, o candidatorū hominum literata  
congregatio, cui talis pater concessus est, o sanctissime Pater,  
qui tali congregationi præesse meruisti; metis iam exultans,  
quod viuens seminasti, potiris quod tantis votis optaueras,  
frue te ergo frue te iam mercibus summo hic labore partis.  
Dei felices inter amicos, felix amicus ipse perfrue te, Virgine  
illam, virginum reginam sectaris, inter beatorum agminum  
choros iam gloriosus collocatus; quam olim inmortali ergastu-  
lo positus, charissimam habebas, hanc quam in terris, & tuorū  
studiorum patronā, & desideriorum dominam habuisti, hanc  
nunc in caelis reginam, & veneraris, & colis, hanc, quam ad-  
huc viuens in votis tibi semper habebas, nunc e vita dulcedēs  
protectricem tibi fortitus es, hanc quam pridem toto cordis  
affectu demisse veneratus es, nunc caelestis gloriae particeps  
factus summè diligis, amplexaris, & amas, hanc tandem cui in-  
ter mortales degens è sacris corollis sacrā coronam libentis-  
simè, oblatā voluisti, nunc eandem alterius effectricem tibi fa-  
cile lucratus es, qua gloriae compos, qua veri gaudij particeps,  
qua aternitatis insectator, qua deniq; summi, ac immortalis Dei  
assecutor effectus, nullo vnquam tempore interituram, nullo  
cafuram quo, nulla eternitate perituram gloriam, tibi iucun-  
dissime comparatam felicissime consequutus es. —

Ergo





**E**rgo fausta domus tanto insignita patente,  
 mors hæc non lachrymas, gaudia sūma petit.  
 Humectare genas lachrymis, io desine obortis,  
 mors hæc non lachrymas, gaudia summa petit.  
 Cymbala, & æra, sonent, non deplorantia mortem,  
 mors hæc non lachrymas, gaudia summa petit;  
 Credite Erithraeis, lux est signanda lapillis,  
 qua Parçę vitæ, tam bene fila secant.  
 Vita illi mors longa fuit, mors vita petita  
 Hoc mors ostendit, passer vt almus obit.  
 Ergo fausta domus fructu tam diuite opima,  
 Cui nullus fuerat dignus in orbe locus.  
 Humectare genas lachrymis, io desine obortis,  
 mors hæc non lachrymas, gaudia summa petit.

~~~~~  
 D I X I .  
 ~~~~~



